Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Adhuc nos insuper territantes. et sicut potuerunt persequentes.
Nec tamen de his iniuriis et persecutionibus quas ecclesia catholica
in regione nostra tunc pertulit. imperatoribus questus est episcopus
noster. sed facto concilio placuit ut pacifice conueneremini.
in quo si fieri posset haberetis in uos conlationem. Et errore
sublato. fraterna caritas pacis in uinculo laetaretur. Et in ipsa
conuentione quid proculianus primo responderit. quod conci
lium facturi essetis. et illic uisuri qui respondere deberetis.
Deinde quid postea cum praeter suam promissionem denuo conuentus
esset actis expresserit. Recusans pacificam conlationem.
Ipsa gesta instruant grauitatem tuam. deinde cum uestrorum clericorum.
et circumcellionum notissima omnibus non cessaret inmanitas.
dicta causa est cum crispino iudicatus hereticus. Nec poena dece
librarum auri quae in hereticos ab imperatoribus fuerat constituta.
per mansuetudinem catholicam feriri permissus est. et tamen
ad imperatores apellandum putauit. Cuius apellationi quod ita
responsum est non ne uestrorum praecedens improbitas. et eadem
ipsius apellatio extorsit ut fieret. Nec tamen etiam post ipsum
rescribtum. intercedentibus apud imperatorem nostris episcopis.
eadem auri condemnatione multatus est. Ex consilio autem
nostri episcopi legatus ad comitatum miserunt. qui impetrarent
ut non omnes episcopi et clerici partis uestrae. ad eandem condem
nationem. X. librarum auri quae in omnes hereticos constitu
ta est tenerentur. sed hi soli. in quorum locis aliqua a uestris
uiolentiis ecclesia catholica pateretur. Sed sic legati romam
uenerunt iam cicatrices episcopi catholici. bacaitani. horrende
ac recentissime imperatorem commouerent. ut leges tales
mitterentur. quales et missae sunt. Quibus in africam ueni
entibus. cum utique non ad malum sed ad bonum coepissetis
urguere. quid facere debebatis. nisi et uos mittere